



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 5. De Gallaecis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

§. 2. *De Vettonibus.*

A quibusdam accensentur Lusitanæ, à quibusdam reuelluntur. Ampliores tamen habuisse aliquando fines ex Prudentio liquet, qui Aug. Emeritam caput Vettoniæ facit.

MORES ex *Strab.* 3. videntes Ro. Centuriones ambulantes insanire crediderunt, & se viæ comites in tabernacula obtulerunt. Ab iis inuenta Betonica, *Plinius*. Optimi equites erant, *Silius Italicus*.

§. 3. *De Turdulis & Turdetanis.*

VTROSQUE iungo quia aliqui Geographi eos coniunxerunt. Certè Bætica ideo *Turdetania* ab iis dicta legitur apud Stephanum.

REGIO *feracissima*, messes enim vberimas etiam inter oleas sufficit. Hinc tanta vrbium multitudo, quarum *Plinius* 175. *Strabo* 200. admittit. Hinc etiam quidam Elysijs campos illic locauere ob aëris temperiem. Lanæ quoque exquisitissimas dabat, quare indidem aries adineundas oues talento emebatur. Cuniculis infestabatur, quos indigenæ Felibus Africanis *des Furetz* capiebant. Erat quoque *opulentissima*: hinc enim Phœnices reperere dolia, & præsepia ex argento, & eo cum naues impleissent, anchors quoque argenteas extulerunt. Hinc etiam aurum paleis purgatur ob molliorem temperiem. Dabat & Minium, cuius magnum vectigal Pop. Rom. dicitur à *Plinio*.

MORES. *Liuius* vocat eos omnium Hispanorum maximè imbelles: sed vice versa omnium doctissimos *Strabo*; item vfos esse Grammaticâ, & leges versu scriptas ante sex mille annos habere.

§. 4. *De Bastulis & Bastitanis.*

EOSDEM quoque nonnulli confundunt vtpote Punicæ utroque originis, de quibus *Horatius*, — *& vterque Pœnus seruiat vni.*

MORES. Coniugia more Græco contrahebant. Ægros exponabant, vt *Ægyptij*; sic *Strabo*.

§. 5. *De Gallæcis.*

NOMEN habet à Gallis, vt vult *Beutherus*, vel à Galathe Her-

culis filio vt *Tarapha*, vel à Græcis vt *Iustinus*, vel à *ἰδλα*. vt *Isidorus* quia reliquis candidiores. Diuidebantur in *Lucenses*, qui à *Luco Augusti*, & *Braccarios*, qui à *Braccarâ* urbibus nomen accipiebant.

REGIO diues, vt ex *Plinio* vidimus. In ea mons ille sacer, & aureus de quo *Iustinus*; & glebæ hîc aureæ sæpe aratro scindebantur. Hîc quoque *Lethe* Fl. aurifer. Erat quoque in primis populosa, siquidem à *Tago* ad *Prom. Celticum* 30. populi celebres habitauerunt *Plinio* teste.

MORES. Dediti supra modum auguriis, & superstitioni, *Silius*. Res domesticas fœminæ curabant, viri rapinis, & bellis vacabant. Deuicti sunt à *D. Iunio Bruto* ægrè, ideóque hîc *Callaicus* dictus.

§. 6. De Asturibus.

NOMEN habent vel à *Astyre* *Memnonis* Auriga, vt vult *Silius*, vel à Fl. *Astura*. Diuidebantur per *Vindium* Montem in *Transmontanos*, & *Augustanos*, quoniam hi iubente *Augusto* in planiciem deducti sunt, vt emollirentur.

REGIO sterilis & aspera, quod intellige de *Transmontana*. Hîc Equi *Asturcones* dicti, & *Astures* bello inutiles, sed qui *inconcusso glomerant vestigia dorso*, ait *Silius*, aut *ad numerum rapidos qui colligat unguis*, vt *Martialis*. Hinc quoque aurum plurimum eruebatur, vnde *Astur avarus*, &c. & *redus infelix effosso concolor auro*. Dabat item *Minium*, & *Chryfocolam*.

MORES. Generosissimi erant, & Romanos concidissent, nisi à *Brigacinis* proditi essent. Erant quoque agrestes, & feri.

§. 7. De Vaccæis.

ISIDORVS nomen eis tribuit ab vrbe *Vacca* ad *Pyrenæum*, sed vbi illa gentium? nisi fortè *Iacca*; at enim quid hæc ad *Vaccæos*, seu *Baccæos* *Stephani*?

MORES. Agros singulis annis mutant, & colunt, & cuique frugum assignantur partes. Morte mulctatur qui agricolam læserit. Bellicosissimi erant quod experti sunt *Ro. duces* aliquot: mirati tandem eorum virtutem, se illis dederunt.